Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26870
Copyright: Admont, Benediktinerstift

pluma. Haec coitio christianorum merito sane illicita si illicitis par: merito damnanda si quis de ea queritur eo titulo quo de factionibus querela est. In cuius perniciem
aliquando conuenimus? Hoc sumus congregati quod et dispersi. hoc uniuersi quod et singuli. neminem ledentes. neminem contristantes. Cum probi cum boni coeunt:
cum pii cum casti congregantur. non est factio dicenda sed curia. Et contra ethnica ratione est. At e contrario illis nomen factionis accommodandum est. qui in odium bonorum
et proborum conspirant. qui aduersum sanguinem innocentium conclamant. pretexentes sane ad odii defensionem illam quoque uanitatem. quod existimant omnis publice cla
dis. omnis popularis incommodi christianos esse in causa. Si tybris ascendit in menia. si nilus non ascendit in arua. si celum stetit. si terra mouit. si fames. si lues.
statim christianos ad leonem acclamatur. tantos ad unum? Oro uos ante tiberium id est ante christi aduentum. quante clades orbem et urbes ceciderunt. Legi
mus ierannapeam et delon. et rodon. et choon insulas. multis cum milibus hominum pessum abisse. memorat et plato maiorem asie uel africe terram
athlantico mari ereptam. sed et mare corinthium terre motus ebibit. et uis undarum lucaniam abscisam in sicilie nomen relegauit. Hec utique non
sine iniuria incolentium accidere potuerunt. Ubi uero tunc non dicam deorum uestrorum contemptores christiani. set ipsi dii uestri. cum totum orbem cataclismus aboleuit. uel
ut plato putauit campestre solummodo? Posteriores enim illos clade diluuii contestantur ipse urbes in quibus nati mortuique sunt. et quas condiderunt. neque enim
alias hodiernum manerent. nisi et ipse posteriores cladis illius. Nondum iudeum ab egypto examen palestina susceperat. nec iam illic christiane secte
origo consederat. cum regiones affines eius sodomam et gomorram igneus imber exussit. Olet adhuc incendio terra. et si qua illic arborum poma conantur
oculis tenus. ceterum contacta cinerescunt. Sed nec tuscia iam tunc atque campania de christianis querebantur. cum ulsinios de celo pompeios de suo monte perfudit ignis.
nemo adhuc rome deum uerum adorabat. cum hannibal apud cannas per romanos anulos cedes suas modio metiebatur. Omnes dii uestri ab
omnibus colebantur. cum ipsum capitolium senones occupauerant. De aduersis urbium 40.

Et bene quod si quid aduersi urbibus accidit: eedem clades templorum quam et menium fuerunt. Ut iam hoc reuincam non ab eis euenire: quia et ipsis euenit. Semper
humana gens male de deo meruit. Primo quidem ut inofficiosa ei. quem cum intelligeret ex parte non requisiuit. sed et alios insuper sibi commentata quos coleret. debinc
quod non inquirendo innocentie magistrum et nocentie iudicem exactorem: omnibus uitiis et criminibus inoleuit. Ceterum si requisisset, sequebatur ut cognosceret re
quisitum. et recognitum obseruaret. et obseruatum propitium magis experiretur quam iratum. Eundem igitur nunc quoque scire debet iratum. quem et retro semper prius
quam christiani nominarentur. cuius bonis utebatur ante editus quam sibi deos fingeret. Cur non ab eo et mala intelligat euenire: cuius bona esse non sensit?
Illius rea est. cuius et ingrata. Et tamen si pristinas clades comparemus. leuiora nunc accidunt. ex quo christianos a deo orbis accepit. Ex eo enim et innocentia seculi iniqui
tates temperauit. et deprecatores dei esse ceperunt. Denique cum ab imbribus estiua hiberna suspendunt. et annus in cura est: uos quidem cottidie pasti. statimque
pransuri. balneis. et cauponis. et lupanaribus operantibus. aquilicia ioui immolatis. nudipedalia populo denuntiatis. celum apud capitolium queritis.
nubila de laquearibus expectatis. auersi ab ipso et deo et celo. Nos uero ieiuniis aridi. et omni continentia expressi. ab omni uite fruge dilati in sacco
et cinere uolutantes inuidia. celum tundimus. deum tangimus. et cum misericordiam extorserimus. iupiter honoratur. Quod dei spiritu statue 41.

Vos igitur importuni rebus humanis. uos rei publice incommodorum illices semper. apud quos dei spiritu statue adorantur. adorantur.

Etenim credibilius haberi debet eum irasci qui negligatur quam qui coluntur. aut ne illi iniquissimi sunt si propter christianos et cultores ledunt. quos separare de
berent a meritis christianorum. Hoc inquitis et in deum uestrum repercutere est. si quod et ipse patiatur propter prophanos et suos cultores ledi. Admittite prius dis
positiones eius. et non retorquebitis. Qui enim semel eternum iudicium destinauit post seculi finem. non precipitat discretionem que est conditio iudicii ante seculi finem.
Equalis est interim super omne hominum genus et indulgens et increpans. Communia uoluit esse et commoda prophanis et incommoda suis. ut pari consortio omnes et leni
tatem eius et seueritatem experiremur. Quia haec ita didicimus apud ipsum. diligimus lenitatem. metuimus seueritatem. uos contra utramque despicitis. et sequitur
ut omnes seculi plage nobis si forte in admonitionem uobis in castigationem a deo obueniant. At quin nos ullo modo ledimur. inprimis quia nichil nostra refert in
hoc euo nisi de eo quam celeriter excedere. dehinc quia si quid aduersi infligitur uestris meritis deputatur. Sed et si aliqua nos quoque perstringunt ut uobis coherentes:
letamur magis recognitione diuinarum predicationum confirmantium scilicet fiduciam et fidem spei nostre. Sin uero ab eis quos colitis omnia ma
la uobis eueniunt nostri causa. quid colere perseueratis tam ingratos tam iniustos. Qui magis uos in dolore christianorum iuuare et asserere debu
erant. quos separare deberent a meritis christianorum. Quod infructuosos dicunt 42.

Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur. et infructuosi in negociis dicimur. Quo pacto homines uobiscum degentes eiusdem uictus habitus instru
ctus eiusdem ad uitam necessitatis. neque enim brahmane aut indorum gymnosophiste sumus. siluicole et exules uite. Meminimus